

194. (40)

194.

III, 7
Pi
2081

Q. D. B. V.

CONCORDIÆ JOH. HU

ET

MARTINI LUTHERI,

IN

PRÆCIPUIS FIDEI ORTHO-
DOXÆ ARTICULIS,

PARS I.

VITÆ AC OPERUM JOH. HUS
HISTORIAM EXHIBENS.

Quam

Consensu Summe Rev. Facult. Theologicæ,
PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, SVMMÆ REVERENDO,
AMPLISSIMO,

DN. JOH. FRID. MAYERO, D.
Comite Palatino Cæsareo, Consiliario Regio & Ducali
in Sacris & Ecclesiasticis Supremo, S. Theol. Profess. Primario, Uni-
versitatis Gryphicæ Pro-Cancellario, Regii Consistorii Præsidi, &
Pomeraniæ citerioris ut & Rugiæ Superintendente
Generali.

DNO. PATRONO AC PROMOTORE OMNI PIETATE
VENERANDO,

Disputatione Publica, ad d. Decembr.

PROPONET

M. MARTINUS LOBETANTZ, Hofsat.

Facult. Philosoph. Kilon. Assessor.


SEDINI, Typis GABRIELIS DAHLI, Reg. Typogr.

1700



107

GEORGIUS JOHANNES
L. A. I. L. I. T. H. E. R. I. U. S.
P. M. T. I. P. I. S. T. I. C. I. S.
V. I. T. E. C. O. T. T. I. U. S.
C. O. N. T. I. N. E. N. S.





I. N. J.

CAPUT I.

Historiam Vitæ & Scriptorum
Johannis Hus exhibens,

SUMMARIÆ.

§. I. Luberi de Johann. Hus. testimonia. §. II. Husi Ortus Patria, Nomen. §. III. Husus ad studia animum applicat. Praeceptorem audit Stanislasum de Znomya. Baccalaureus & Magister artium, post Baccalaureus Theolog. foris magis vocatur. Ludo Schæcorum delectatur, tempus se eo perdidisse dicit. Decanatum & Rectoratum Academia gerit. Prædicator & Rector Capelle Bethlehem eligitur. Ejus fundatores. §. IV. Hus dogmata & mores Cleri concionibus suis libere reprehendit, illis que odia ejus incurrit. Perlatus Joh. Wiclef. petitur ab inimicis. Duo Studiosi ex Anglia Praga de Pontificis eminentia liberiori disputant, ejus luxum, & Christi paupertatem in tabula ostendunt civibus; de pœna hereticorum cavenda admoniti, fuga se subducunt. §. V. Sbynko Archi-Episcopus Pragensis inquit in hereticos, libros Wiclef ad comburendum ab omnibus Universitatis Sociis repetit, illi ad Papam appellant, & inhibitionem obtinent. Sbynko relationes Romam mittit de Wiclef heresi, Bohemiam occupante, & temeraria concionibus, que in Capellis audiantur, mandata accipit de heresi extirpanda, & concionibus prohibendis, iisque acceptis, denuo libros Wiclef, igni adjudicat, & concionibus in Capellis interdicat. Johann.

Hus cum sociis denuo ab hoc mandato Romam appellat. Archi-
Episcopus à Rege, post delatas Studioforum querelas, reprehendi-
tur, Hussu nullo in libris Wiclefi exhibitis errores offendit, ducentos
opp. ejus codices in palatio clam cremandos curat. Hus librum Wi-
clef. de SS. Trinitate publice defendit, Universitatis Bononiensis
Theologi libros Wiclefi non comburendos judicant. §. VI. Hussus ad
Johannem Papam XXIII. tanquam hereticus delatus, à Cardinali
de Columna Romam personaliter citatur. Rex Bohemia; Regina,
Barones, Universitas Pragensis, ut compareat, nec tutum, nec opus
esse, Pontificem missa legatione edocent, & pro tollenda citatione in-
tercedunt. Hus literis ad Cardinalem & Pontificem datis idem sup-
plex petit. Procuratores Romam ab eo missos Cardinalis non ad-
mittit, illi ad Pontificem appellant. Cardinalis Hussum in termi-
no appellationis causa pendente denunciat. Pontifex causam ad se
revocatam IV. aliis Cardinalibus committit. Registrum causa
conficitur, per sesquiennium ex eo disputatur. Cardinalis de Brancatiis
Procuratoribus, oec in causa Hussi ulterius procurent, man-
dat, illi nihilominus eam urgentes, conjiciuntur in carcerem, ex eo
dimissi re infecta Bohemiam repetunt. Cardinalis de Brancatiis
processus Cardinalis de Columna gravat, excommunicationem ad
ipsos Hussi socios extendens. Contra Hussum cantica, in Judam
proditorem facta cantantur in ecclesiis & signum crucis erigitur.
Job. de Jessinez, Doctor Bononiensis, Hussum defendit. Hussus à
Pontifice ad Christum appellat. §. VII. Hus communi Universita-
tis nomine, in condemnationem XLV. articulorum Wiclefi non con-
sentientis, tribus actibus defensionem quorundam ex illis instituit.
Johannes Papa XXIII. duas Bullas contra Ladislaum emittit. Ille
deferuntur Pragam. Hussus eas & predicando & disputando
impugnat, in Concilio Regio Doctores provocat, obligando se cum iis
sub pena ignis, quam conditionem accipere illi recusant. Ponti-
ficis affectis, Indulgentias defendentibus, cives quidam contradicunt
publice, & capite propterea plectuntur. Pontifex Sacerdotibus
Prage omnium Sacrorum administratione interdicit, quamdiu
Hussus ibi toleraretur. Hic Praga tandem discedit. Epistole in
urbem subinde misse. §. IIX. A Nobilibus Bobemis, ut Hussum
Con-

Constantiam deducant, Cesar desiderat, literis salvi conductus oblati. Hus Constantiam iturus Pragam repetit, itineri se accingit. Professionem ad Concilium publice indicat omnibus, eoque adversarios citat. Iter ingreditur, Constantiamque advenit, literis salvi conductus instructus. Domi officium S. Missæ celebrat, S. IX. Hussus, etsi Johannes Papa XXIII. omnem ipsi securitatem promiserat, in Palatio detinetur, & custodia committitur. Johan. de Chlum, Nobilis Bohemus, publice de carcere Hus conqueritur. Novus Hussi in Monasterio Dominicanorum carcer, & alius in Monasterio Franciscanorum. Post Pontificis Johannis fugam Episcopo Constantiensi traditus, novo carceri includitur Gottlebia, ibique ad revocationem XXX. articulorum, ex libris suis excerptorum, à Deputatis Concilii invitatur. In Monasterium Franciscanorum vinculus deportatur Gottlebia, tribus vicibus publice examinatur, & ad articulos exhibitos revocandos frustra incitatur. De formula Revocationis proposita cum Cardinali Ostiensi disputat, eam non admittit, sed sententiæ suæ, etiam à Deputatis Concilii rogo territus, in heret. & confessionis constantiam epistolis pluribus resistit. Ad abjuracionem doctrine postremò, sed frustra invitatus, cum libris condemnatur. Dignitas sacerdotalis solenniter ab eo aufertur. Libri ante fores templi, ipso inspiciente, comburuntur. Hussus ad rogi trahitur, crematur, cineres in Rhenum conjiciuntur. S. X. Elogium viri. S. XI. Scriptorum catalogi & editiones.

I.



Iohannis Hussi nomen B. Luthero nostro magnum sane fuit & memorabile. Cum Erfordiæ, Theologiæ tyro, in Bibliotheca Monasterii, in librum, cui foris inscriptus erat titulus: *Sermones Johannis Hus*, incidisset, celebritas illius nominis legendi curiositatem, lectio admirationem prope incredibilem causæ, ob quam vir, ipsius jam tum iudicio, in explicanda & tractanda Scriptura dexter & gravis, exustus fuisset, admiratio magnam animi commotionem excitabat, ut oculo libro saucio corde abiret, seque ipsum his cogitationibus consolaretur: *Fortassis hæc scripsit, ante-*

quam in haresin prolapsus esset, ceu ipse Lutherus, in scripto, epistolis quibusdam Hussi, anno 1537. Witteb. editis subjuncto, commemorat. Postquam vero ad ipsa Hussi vestigia persequenda Deus illum movit, liberiori à præjudiciis Papalibus animo scripta ejus legens, ardens viri vindicandæ puritatis doctrinæ cœlestis studium agnovit, maximisque laudibus ornavit. *Sanctum Martyrem*, piumque hominem, in Præfat. IV. Epp. d. 9. Novembr. 1536. editarum, *optimum & piissimum virum*, in præfat. Epp. ejusdem quæ Witteb. 1537. prodierunt, laudat, & sub initium scripti, epistolis subjuncti: *Non dubium mihi est*, inquit, *quin, quisquis has literas vel ipse lecturus, vel ab aliis auditurus est, si modo sana mente præditus sit, suaque erga DEUM conscientia rationem habeat, palam de Johanne Hus confessurus sit, magnis eum & excellentibus Spiritus S. donis fuisse ornatum. Videlicet, qui scriptis diètiisque suis doctrinæ Christianæ adeo consensit, & tam fortiter adversus dolores mortis dimicavit, tam patienti & humili animo omnia pertulit, denique tanta animi magnitudine turpissimam mortem pro assertione veritatis toleravit. Atque hæc omnia solus, in tanta summorum amplissimorumque hominum, qui ex omnibus nationibus confluxerant, frequentia, non aliter atque ovis inter medios Leones & lupos. Si hic pro heretico habendus est, haud facile quicquam omnium, quos Sol unquam vidit, vere Christianus haberi poterit. Ex quibus enim fructibus vere pius agnosceretur, si hi non sunt veri fructus, quibus Johannes Hus ornatus fuit?* Idem To. VII. Jenens. German. fol. 223. b. scribit: *Es ist zu Costens verbrandt St. Johannes Huss / wir mügen ihn mit Ehren wol heilig nennen / weil er auch weit nicht so viel verdienet als wir.*

II. Ad vitam & fata hujus viri quod attinet, de ortu ipsius, primisque vitæ temporibus non adeo constat. *Aneas Sylvius* Histor. Bohem. cap. 35. obscuro loco natum esse scribit, nulla parentum, quibus prognatus, nulla anni, quo in lucem fuerit editus, mentione facta, de quibus etiam apud alios illorum temporum scriptores nihil certi aut definiti memoriæ proditum reperitur. Nomen HUS à villa, in qua natus fuit (ut pluribus eâ ætate viris doctis à patriâ) obtigit. In quibusdam literis vocatur Johann. De HUSSINETZ, & DE HUSSENITZ, quibus ipse nominibus, item Johan-

hannis Hus de Hussinetz, promiscue se in intimationibus ante profectionem ad Concilium Constantiense, publicis locis Pragæ affixis, appellat. HUSKAM quoque à nonnullis, præcipue Bohemis, dictum fuisse, autor est *Henr. Spondanus*, in *Continuat. Annal. Baron.* pag. 710. Significat autem *Hus* Latine *anserem*, unde vexilla *Ziske*, celebris illius Hussitarum Imperatoris, *anserem* ostentabant, & fuere in Germania, qui in memoriam Husi, Lutheri, & Rabi, monetas anseræ, cygno & corvo notatas, cudendas curarent.

III. Quanto minus autem illum patria, tanto magis ille patriam ornavit, dum ad divinarum humanarumque literarum studia animum applicans, tantos in iis, (Præceptore usus Magistro Stanislao de Znoyma Doctore Theologiæ, a quo in exercitiis & actibus suis Scholasticis multa bona didicisse se profiteretur, in Responsad Scripta ejus P. I. Opp. f. 265. a) fecit progressus, ut in celeberrima tunc, & liberalissimis studiis, doctissimisque hominibus affluente *Universitate Pragensi*, primum quidem *Bacclareus in Artibus*, anno 1393. deinde *Magister artium*, ann. 1396. demum SS. Theolog. S. Sacræ Paginæ *Bacclareus* renunciaretur, & quidem *formatus* S. Sententiarum & *Sententarius*, qui Sententias Magistri prælegendi accipiebat potestatem, ut *Bacclareus* currens & cursor S. Biblicus, Biblia Sacra, observante *Iobann Christoph. Ittero*, de *Gradibus Academicis* p. 15. Annum, quo gradum hunc obtinuerit, Scriptores non definiunt, ipse tamen, in *Tract. de Cena Domini*, e carcere Constantiæ edito, docuisse se in *Universitate Pragensi*, legendo librum Magistri Sententiarum indicat, anno 1409. vid. Opp. edit. Norimb. fol. 39. b. Altiores autem procul dubio in eadem facultate honores consecutus fuisset, nisi Martyrem potius, quam Doctorem DEUS illum voluisset. Vitæ rationem ac consuetudinem *Hieronymus Pragensis*, in sua post revocationem edita Professione, ut a juventute cognoverat, a morum sanctitate & innocentia commendat. Quicquid vero in ea, quoad primæ juventutis memoriam recordari mens poterat, reprehensione aliqua dignum ipse reperit, vir sibi minime suffenus, sed rigidus propriæ vitæ censor, candidè profertur, in epistola ad fratrem quendam *Martinum*, (quam ante discessum ex Bohemia obsignatam reliquerat, in inscriptione rogans, ut istam

istam non aperiat, nisi certus fuerit de hoc, quod sit mortuus, edit. Opp. Norimb. f. 58. a *Scis*, inquit, *quia prob dolor, ante sacerdotium meum, libenter & saepe Schacos lusi, tempus neglexi, & saepe alios & me ad iracundiam per illum lusum infelicitate provocavi. Unde & aliis meis culpis innumerabilibus omisissis, ad veniam piissimo Domino tuis me committe orationibus.* Magnis de cetero praestitisse virtutibus, splendida, & in Ecclesia, & in Academia, ipsi commissa officia, luculenter confirmant. Etenim in hac, teste vetusto codice, ex quo sub initium edit. Opp. Norimb. haec repetuntur, *Decanatu A. D. 1401. ipsoque Reſtoratu Univerſitatis A. D. 1409. Alemannorum seu Germanorum ex urbe Pragenſi, exitu memorabili functus fuit, eoque Rectore d. 11. Mart. Anno 1400. Liberum Baronem de Zvvezditz in Magistrum promovisse perhibent, ut refert Christoph. Walpurger in libro, cui tit. Husſus combustus, non convictus, pag. 19. In illa vero ipſo A. D. 1400. ut in vetusto codice modo citato legitur, vel 1401. quem ipse in Tract. de Coena edit. Opp. Norimb. f. 39. b. primum praedicationis suae annum fuisse aestimat, Sacerdos & Praedicator, idemque Reſtor Capellae Sanctorum Innocentium, dictae Bethlehem, in civitate Pragenſi constituebatur, postquam Nobilis & famoſus vir Dominus Iohannes Mulbeym de Pardubiez, miles, & discretus vir, Crux inſtitutor, civis Pragenſis, Capellam hanc, pro praedicatione verbi Evangelii, in vulgari Bohemico, Canonice fundari fecerant, ac redditibus, quibus duo Reſtores & Praedicatores in ea alerentur, dotaverant, vid. Opp. cit. fol. 91. b.*

IV. Publico in Ecclesia docendi munere ita inito, Hus id sibi unice negotii datum credidit, ut populum, non traditiones, aut verba hominum, quibus tunc omnia personabant, sed DEI ipsius verba, de suggestu minime interpolata doceret, vitia illorum temporum severe reprehenderet, & ab iis ad verae ac Christianae virtutis studium auditores revocaret. Hoc quamdiu ita faciebat, ut in secularium ordinum homines acriter inveheretur, Zelum viri laudabant omnes, & Spiritum S. ex eo loqui dicebant, cum vero processus ulterius, ipsi Clero non parceret, sed ejus ambitionem, avaritiam, luxuriam, aliaque vitia, liberrime plurimis sermonibus, quorum aliquot *Part. II. edst. Opp. Norimb. fol. 23. a, seqq. leguntur,*

tur, corripere & dogmata præter verbi divini fidem ab iis in-
victa, voce & stilo refutaret, tum fremere, & indignari omnes; ne-
que enim ulcera hæc sine dolore tangi poterant. Id vero inimi-
ci, quos veritas Huslo pepererat, imprimis agebant, ut per latus
Johan. Wiclef illum adorirentur, & prætextu studij, quo dogma-
tibus ipsius, quæ tanquam hæretica passim traducebantur, addi-
ctus esset, Sacræ inquisitionis, quam vocabant, censuræ subjec-
rent. Et accidit circa hæc tempora, narrante *Christoph. Walburger*,
in libr. cui tit. *Hussus combustus non convictus* pag. 9. ut duo
Studiosi ex Anglia Pragam venirent, inque Disputationibus omni-
bus, quibus tanquam Opponentes intererant, quæstiones de Pon-
tificis Romani præ aliis Sacerdotibus eminentia moverent, & a-
crius subinde urgerent, donec *Casaris Caroli* constitutionem de
hæreticis in ignem conjiciendis ad Studiosos etiam, quicumque
hæreses spargerent, pertinere illis denuntiaretur. Objiciebatur iis
etiam, quod multum deberent & tribuerent libris & scriptis *Joh.*
Wiclef, quem ab Ecclesia damnatum, & ignis supplicio affectum
dicebant. Studiosi vero, cum *Joh. Wiclef* vitam & doctrinam,
honestum totius Universitatis Oxoniensis testimonium ei datum,
& d. 5. Octob. an. 1406. publice affixum producentes, vindica-
sent, & Pontificem superbe, Christum humiliter urbem intrantem
in *Musæis suis depictum, civibus ostendissent, rigidioris examinis*
& proceßus periculo matura fuga se subdlexerunt.

V. His ita elapsis *Sbynko Archiepiscopus Pragensis*, idemque
Sedis Apostolicæ Legatus, & Universitatis studij Pragensis Can-
cellarius, etsi in Synodo an. 1408. d. 17. Julii habita, nullum se in hæ-
resi, inquisitione instituta, deprehendere potuisse declarasset, se-
quenti anno 1409. ad instantiam Cleri ab omnibus Universitatis
Pragensis membris omnes *Wiclef* libros solenni mandato re petiit,
ut comburerentur; sed ab illo Universitatis Pragensis ad *Gregor. Pa-
pam XII.* appellavit, ejusq; inhibitionem ex commissione sedis A-
postolicæ obtinuit. Cum itaq; non succederet hac, alia rem Huslo
inimici aggrediebantur via, missisq; Romam per eundem *Sbyn-
konem* relationibus de hæresi *Wiclef* per omnes Bohemiæ eccle-
sias serpente, & animarum periculo ex temerariis & reprobandis

sermonibus, ad populum in Capellis, præcipue illa Pragenſi Bethle-
hem dicta habitis, orituro, mandata à Pontifice impetrabant,
quibus Archi-Epiſcopo hæreſis extirpanda, & prædicatio divini
verbi in omnibus Capellis prohibenda ſevere injungebatur. Hoc
cum ex voto ipſi oblatum fuiſſet, convocatis ocyus in Curiam
ſuam d. 16. Junii 1410. Prælatiſ, & omni reliquo clero graviffima
ſententia libros Wicleſi tanquam hæreticos damnavit, igne cre-
mandos judicavit, divini verbi prædicatione in Capellis, illis et-
iam, quibus poteſtas data erat, interdixit. Die autem 25. Junii Joh.
Hus cum ſociis ſuo & Univerſitatis, Nobilium, Diſtrictuum, Ci-
vitatum &c. nomine coram Notario & Teſtibus contra manda-
tum hoc, tanquam Bullæ ſub- & obrepticie impetratæ inrixum
proteſtati ſolemniter, ab eo appellationem ad Sedem Apoſtoli-
cam quæ P. I. Opp. Hus f. 89. a. legitur, concipiendam curarunt,
ipſeq; Archi-Epiſcopus delatis ad Regem Studioſorum de poſtu-
lata hac traditione & combuſtione librorum Wicleſi querelis, re-
prehenſionem ejus incurrit. Sed & Johannes Hus libros quos-
dam Wicleſi Archi-Epiſcopo tum obtulit, petens, ut in iis erro-
res, combuſtione digni oſtenderentur; ille libros ſibi ſervavit,
de erroribus plane conticuit, nihilominus tamen ducentos Ope-
rum Wicleſi codices, quos eleganter compactos, aureisque bullis
ornatos hinc inde per exploratores conquiſiverat, opportunita-
tem temporis nactus, in clauſo & militum cuſtodia undiq; cincto
palatio clanculum cremandos curavit. Hoc ubi factum innotuit,
altera pars ſibi ſilendum non putabat, cum non librorum Wicleſi
ſolum ſed totius regni Bohemiæ honor ita lædi & tantum non
imminui videretur, quare Johannes Hus Dominicæ die poſt fe-
ſtum S. Jacobi actum pro defenſione libri Joh. Wicleſi. de SS. Tri-
nitate in ſuis veritatibus, ut ipſe loquitur, adverſus ejus conde-
mnatores publice celebravit, qui P. I. Opp. fol. 108. a. ſeqq. lega-
tur. Dum hæc in Bohemia geruntur, Romæ, antequam appellati-
onis illius Pragenſis cauſa inchoaretur, Alexander Papa V. cujus
ſucceſſor Johannes Papa XXIII. cauſam hanc quatuor Cardinali-
bus, hi omnibus Univerſitatis Bononiæ Doctoribus Theologis
libros Wicleſi examinandos commiſerunt, qui eos ab Archi-Epi-
ſcopo Sbynkone non eſſe comburendos pluribus votis judicavit.

VI. Invado jam versari Hussum, omnibusq; persecutionum
 fluctibus ereptum credidisses, quod appellatio Universitatis studii
 Pragensis, cui Procuratorio nomine interfuerat, hoc iudicio non
 improbata videretur; at gravior illum ventus in altum mox ab-
 ripuit. Etenim ab æmulis apud Johannem XXIII. tanquam erro-
 rum hæreseosq; prædicator aperte jam, cum per cuniculos non
 succederet, accusabatur, quibus delationibus permotus Pontifex,
 tunc Cardinali Columnæ examinandam commisit, & Hussum, si
 qua in ipsum hæreseos caderet suspicio, Romam personaliter, ut
 vocant, citandi potestatem dedit, quæ in inimicorum gratiam abu-
 sus ille citationem ipsam emisit. Ad hanc ne Hus personaliter
 comparandum esset, Rex Bohemorum Venceslaus, Coniux So-
 phia, Barones atq; Universitas studii Pragensis splendida ad Pon-
 tificem dictumq; Cardinalem legatione anno 1411. d. 14. Jan. mis-
 sa semel atq; iterum decenter petebant, causam præfati, quod Hus
 Romam proficisci nec tutum esset, cum insidias vitæ ipsius in 300.
 fere millinarium itinere structas constet, nec opus foret, quod nul-
 lo suo delicto, solis inimicorum obrectationibus in hæresis suspi-
 cionem adductus fuisset, quibus ut plenam fidem facerent, Archi-
 Episcopo Sbynkoni à Rege mandabatur, ut literis, exemplo, quod
 P. I. Opp. Hussif. 87. b. legitur ad Pontificem datis, profiteretur,
 se, ut ipsius Epistolæ verbis utar, *Magistrum Job Hus super sin-*
gula dissensionibus atq; rixis inter utrumq; subortis per Regem Ven-
ceslaum & suos Consiliarios plenarie esse concordatos, proinde Sue
Sanctitati supplicare se, quatenus ipsa Hussum à comparitione perso-
nali absolvere, etiam de non comparendo absolutionis beneficium gra-
tiouissime largiendo dignari velit. Ipse etiam Hus, ut nihil omnino
 in se desiderari pateretur, literis ad Collegium Cardinalium mis-
 sis an. 1411. supplicabat submitte, ut de personali comparitione i-
 psorum benevolentia absolveretur, quin & Procuratores legiti-
 mos ad Curiam Romanam ablegavit, qui sæpius se dicto Dn. Car-
 dinali ad respondendum Hussi nomine omnibus, quæ ipsi fuerant
 objecta, offerebant; deniq; literis ad ipsum quoq; Pontificem eo-
 dem anno Pragæ die S. Egidii propria manu scriptis & de erroribus
 imputatis se excusavit, & *ut à comparitione personali & cæteris*

*inde secutus propter omnipotentis Dei misericordiam benigniter absolueretur, humiliter petiit. Quæ ut majorem fidem haberent, in publico totius Universitatis consensu in Collegio Caroli, ubi negotia ardua tractari solebant, exhibitæ, lectæ, & ad instantiam Hus unanimi totius collegii consensu publico Universitatis sigillo munitæ ac roboratæ, in curiam Romanam mittebantur. Sed sermo narrabatur fabula. Cardinalis enim, quamvis Procuratores ab eo non admisi ad Papam appellassent, lite hac pendente Hus, *hereticum & contumacem, quod non comparuisset personaliter in citationis termino denunciavit & contra eum in Curia & extra Curiam fecit denunciari.* Post hanc tamen laram sententiam Pontifex causam ad se revocavit, & IV. Cardinalibus aliis commisit, magis scilicet, perditurus Hus, quem servaturus videbatur. Franciscus de Zabrellis Cardinalis Florentinus consentientibus Commissariis reliquis articulos pro excusatione comparitionis non factæ productos & non admissos, admisit, iisque in termino per testes idoneos probatis Registrum & acta causæ plene & sufficienter conscribenda & perficienda curavit; hæc deinde ad mandatum Papæ Cardinali de Brancatiis tradebantur, coram quo de singulis in Registro causæ contentis per sesquiennium fere in utramque partem disputatū, nec tamen interea citatio aut excommunicatio à Cardinali de Columna pronuntiata, sublata fuit. Exitus demum totius negotii is erat, ut, Procuratoribus & Advocatis administrationem justitiæ secundum acta & probata in causâ hac iterum iterumque implorantibus & urgentibus, dictus Cardinalis de Brancatiis nodum, quem solvere non poterat, secaret, illisque interdiceret, ne in hac causa ulterius procurarent, addens, à Pontifice, ut ita ageret, sibi mandatum. Quibus cum illi, ut ab officio recederent, & causam sibi commissam desererent, non petmoverentur, sed justitiæ administrationem implorarent & flagitarent assidue, offerentes etiam se ad pœnam ignis, quod nemo hæresin in Husso probare possit, in carceres conjecti eo adigebantur, ut, cum Hussi res in pejus indices ruere, desperaramque causam nullo quamvis maximo studio juvari à se posse agnoscerent, è carceribus, quibus inclusos modo diximus, tandem dimissi Roma in Bohemiam ire infecta redirent.*

Tum

Tum vero Cardinalis de Brancatis, falsa suggestione & temeraria importunitate Michael de Causis, infamis, & mendosus instigatoris, qualem eum Joh. de Jessinetz Opp. P. I. f. 331. a describit, per motus, consilia atq; auxilia conferentibus Canonicis Pragensibus, impingnatis & incrustatis regni Bohemiae subus, quos vocat idem Joh. de Jessinetz. Opp. Hus. T. I. fol. 332. a. in causa Hus ita definiuit, ut processus Cardinalis de Columna gravaret & reaggravaret, & ad ipsos Husii socios excommunicationem extenderet, quam per Petrum S. Angeli Romanae ecclesiae Diaconum Cardinalem publicavit. Hoc veluti signo sublato inimici Hus nihil eorum, quibus in capitale odium adduci posset, omittebant, dum & cantica in detestationem criminis Judae proditoris Christi per Ecclesiam inventa in ejus contumeliam cantabant, & crucis signum contra ipsum elevabant. Movit hujus rei iniquitas Venerand. Magistrum Joh. de Jessinetz. Doctorem Juris Canonici Universitatis Studii Bononiensis, ut in Schola per determinationem publicam s. repetitionem pro defensione causae Mag. Joh. Hus anno 1412. d. 18. Decembr. scriptam & P. I. Opp. Hus. fol. 334. b. seqq. repetitam, processus hos temerarie & exorbitanter publicatos, non solum injustos & frivulos sed multipliciter ipso jure nullos probaret. Quid vero Joh. Hus graviter adeo oppresso & afflicto consilii, quid praesidii reliquum, quo miser se verteret? à Pontifice ad Concilium appellare nimis longum & in gravamine auxilium postulare incertum judicavit, quare ad Christum appellationem suam ab iniqua hac Romanae Curiae sententia direxit, exemplo, quod P. I. Opp. f. 17. b. occurrit.

VII. Vidimus quorsum Romanae causa Husii evaserit, nec pacatis interea domi rebus fruebatur. Non consenserat Universitas Praagensis in condemnationem XLV. articulorum Johannis Wiclef, à Doctoribus in Praetorio factam, idq; ut constaret, & adversa pars ad rationes illius condemnationis in medium afferendas obligaretur, Joh. Hus. A. D. 1412. in Lectorio Theologorum Collegii Caroli Defensionem quorundam articulorum Johannis Wiclef. communi nomine instituit, tribus actibus determinando in I. de praedicatione & auditione verbi Dei, ex articulo XIV. & XV.

in secundode ablatione temporalium à Clericis, ex articulo XVII.
in tertio, post festum S. Viti, habito de Decimis. vid. Opp. P. I. fol.
111. a. seqq. Hæc autem velitaris tantum pugna erat, postquam
longe gravior incunda Hussium manebat. Johannes Papa XXIII,
duas Bullas, unam Indulgentiarum pro subsidio contra Ladisla-
um, Regem Apuliæ, quem magnis cum copiis ad urbem accessu-
rum male metuebat, V. Idus Septembr. aliam de Ereptione Cru-
cis contra eundem Ladislaum, continentem remissionem omnium
peccatorum à poena & culpa IV. Non. Decembr. Romæ apud S.
Petrum an. 1411. datas, emiserat. Ultraq; Bulla cum anno sequente
1412. Pragam deferretur, & promulgaretur, decipi illi populum
Doctores in angulis quidem mussitabant, in Scholis ita docere,
aut prædicare populo nemo erat qui auderet. Hussium quoque in
partes traxisse se Pontificis affecta putabant, cum coram Albico
Archi-Episcopo Pragensi à Legato Pontificis Romani interroga-
tus: *an mandatis Apostolicis obedire vellet? cordialiter*, inquit,
mandatis Apostolicis obtemperare affecto. At solas Christi & Apo-
stolorum ejus doctrinas pro talibus se habere, & nequaquam man-
datis Pontificiis, nisi cum illis consentiret, obediendum judicare,
re & opere ipso ostendit. Nam eodem anno post Viti questionem
disputavit de Indulgentiis s. de Cruciata Papæ Johannis XXIII.
fulminata contra Ladislaum Apuliæ Regem [quam rationibus
utrinque allatis expensam & negative determinatam legitimus P. I.
Opp. l. 174. a. seqq] aliaque replica post Viti post sanctam Syno-
dum, *pacem Christi & fortitudinem adversus insidias Diaboli qui-
bus niteretur veritatem suppressere, & homines dupliciter defrauda-
re*, in partes vocans, publice contra easdem Pontificis literas præ-
dicavit, quæ P. I. Opp. fol. 189. b. occurrit. Quin & Doctores ad-
versa partis ad oppugnandum hæc sua scripta coram Consilio Re-
gis in Zembrak animose provocavit, *obligando se cum iis usq; ad pa-
nam ignis*. Quo audito illi exterriti spatium de hac conditione de-
liberandi petierunt, neq; enim propter veritatem capitis pericli-
tari animus illis erat, mox autem ex palatio ante Consilium Regis
responsum dederunt: *Utrum se contra Hus exposituros, sed non se
omnes obligaturos*: tum vero Hus: *Vos omnes*, inquit. manu con-
jun.

juncta stas ex adverso contra me solum, qui alias ad hoc non submitto, nec pariem facio: in me solum vel in vos omnes incendii pena redundabit. Historiam disputationis publicæ, quam circa hæc tempora Hus, invitatis solenniter omnibus Magistris, Doctoribus &c. in collegio Carolino habuerit, opponentibus ex Jure Canonico Doct. Wolf, Icto, ex Jure Civili Doct. Gbat, refert Christoph. Walpurger in libro, cui tit. *Hussus combustus non convictus p. 97. seqq.* inque ea vulgus teste eodem ad vocem Rectoris, suadentis ut domum potius, qui literarum essent ignari, discederent, & Doctoris Leonis, Hussum quod Pontificem patrem suum spirituales ita traduceret, reprehendentis, tumultus excitasset, nisi Hussus blandis alloquiis hos animorum motus sedasset. Et, quando quidem plebi, quid de indulgentiis Papalibus habendum foret, obscurum esse jam amplius non poterat, accidit, ut civium Pragensium quidam Sacrificulis pro contione eas assidue deprædicantibus & commendantibus, publice in ecclesia obloquerentur, falsitatisque eos arguerent, qui in vincula conjecti capite plestebantur, quorum memoriam ipse Hus, his verbis propria manu ad marginem codicis pergameni in Bethlehem, [quem Passionale seu Legendam vocant:] capite de Adriano sub Maximiano Imperatore passo, scriptis, ad posteros transmisit: *Anno Domini 1412. feria ante festum Apostolorum Petri & Pauli sic voluerunt decollari multi flectentes sub gladio tortoris, quando decollabantur Martinus, & Johannes & Sraffe ex eo, quod contumaxerunt prædicantibus, quod licitum est bellare, & quod in Papam est credendum, & quod, quicumque dederit Papa pecunias ad bellum, est absolutus à pœna & à culpa, vid. P. I. Opp. f. 245. b.* Crescebant indies hinc partium æmulationes & studia, nec Hus, quamvis excommunicatus & severo Pontificis mandato prohibitus, ab officio prædicandi cessabat, donec Pontifex omnibus per totam Pragam Sacerdotibus interdiceret, ne quamdiu Hus in ea toleraretur, officium Sacræ Missæ celebrarent, aut ullam aliam ministerii sui functionem vel funera deducendo, vel baptizando, &c. obirent, &c. Regem [quamvis frustra] omnemque populum Pragensem, ad hæresin Hus penitus abolendam excitavit: Tunc tandem Hus, veritus ne præsentia sua Pragæ majoris mali causa Bohemis foret, postquam tractatum de

eccle-

ecclesia recitayerat anno 1413. circa autumnum, ut ex epistolis colligendum videtur, Praga relicta, ad Dn. suum hereditarium Nicolaum de Hussinez, inde in arcem Cracowitz, prope Cracowiziam sitam concessit; in itinere vero passim in pagis ex urbibus quas transivit, conciones ad populum habuit, plurimorumq; gratiam & studia sibi conciliavit. Nec tamen dulcissimam auditorum Pragensium, quos doctrinae coelestis studio deditos noverat, memoriam ulla debebat oblivio, quemadmodum enim per duodecim, & quod excurrit, annos nihil eorum omiserat, quod ad ullam fidei Pastoris officii partem pertineret, ita & absens idem praestabat, missis subinde in urbem epistolis, (quae P. I. O. per fol. 95. b. seqq. leguntur) stantes confirmabat, vacillantes sustentabat, lapsos erigebat, afflictos maestosque solabatur, omnes ad fidem intemeratam motesque, incorruptos servandos hortabatur. **IX.** Nunc vero ad ultimum eumque imprimis illustrem vitae Hussi actum pervenimus, quem suscepit & absolvit postquam ipsum Deus ex loci, in quem secesserat, solitudine in frequentissimam Concilii Constantiensis celebritatem evocavit, & in Summorum doctissimorumq; per universam poene Europam hominum luce constituit. Cum enim in Concilium hoc habendum Caesar & Pontifex consensissent, hic missa in Bohemiam legatione à Nobilibus regni desiderabat, ut Hussum ad Concilium deducerent, literis simul salvi conductus oblatis, quae ipsi & tutam Constantiae mansionem & incolumen in Bohemiam reditum praestarent. Occasionem hanc fidei suae rationem toti ecclesiae reddendi Hussus negligendam non putabat, quare Pragam primum repetiit, ibique per breve temporis spatium vixit, itineri se accingens. Priusquam tamen discederet, literas Dominico die proximo post Festum S. Bartholomaei in publicis locis Civitatis Pragensis & Latino & Bohemico vulgari idiomate affixit, quibus ad Concilium iturum se palam significabat, eoque invitabat omnes *ad proferendum audacter doctrinam, quam à fide Christi alienam in ipso nossent; paratum se ad respondendum omnibus tam magno quam parvo, de virtute doctrinae, quam defensam cuperet; admonitum; profectus.* Constituerat quidem ad auditores, quos olim habuerat, concionem

nem habere, sed brevitate temporis exclusus epistolam summa-
dicendorum capita complexam iis reliquit, quæ in ecclesia publi-
ce post prælegebatur. Quemadmodum autem in hæreseos sus-
picionem adductum se apud omnes poverat, ita amoliri eam à
se omni studio & opera conabatur. Mittebat Procuratores ad
*Nicol. Episcopum Nazarethensem, Inquisitorem hæreticæ pravi-
tatis Civitatis & Diocesis Pragensis, rogatum: ut significaret pu-
blice quamecumq; in illò hæresin nosset. Ille vero solenniter ita inter-
rogatus, respondit: Et multos sibi & frequentes cum Hussò de vari-
is S. Scripturæ materiis sermones fuisse, sed eundem in omnibus suis
dictis, actibus, & gestibus comperisse virum fidelem & catholicum,
quem nemo apud se, quamdiu Inquisitoris munus gesserit, erroris aut
hæreseos alicujus rem peregisset. Idem ipsi testimonium perhibuit
Conradus Archi. Episcopus Pragensis, à Baronibus regni, Hussi no-
mine, compellatus, ne reticeret, si quam de ipso hæreseos suspi-
cionem haberet; à Prælatiis autem & Clero, in curia Archi-Epi-
scopi Pragensis congregato, idem requisituri Johannis Hussi Pro-
curatores non admittebantur. Vid. Opp. P. I. fol. z. b. seqq.*

Venit interea dies, quo Praga Hussum, nunquam denuo vi-
sura, dimittebat. Idibus Octobris anni 1414. Comitibus Bohemis
Nobilibus *Vuenceslao de Duba, & Johanne de Chlum* (quem fami-
liarius, cum soli essent, viventes amici *Doctorem de Bibrach* vo-
care solebant, quandoquidem in civitate illa, cum dictus *Dn. de
Chlum*, multum & sæpius cum Sacerdotibus & aliis literatis de
obedientia Papæ, de excommunicatione, aliisq; rebus conferret,
fama promulgata erat, esse illum Sacræ Theologiæ Doctorem)
itineri Constantiensi se commisit, hunc morem servans, ut in
omnibus civitatibus, præsertim celebrioribus, quas transibat, ad-
ventum suum itinerisq; causam literis publice affixis significaret,
quarum exemplum, P. I. O. f. 4. a legi potest. Præeuntem sibi habu-
it unius diei itineris Episcopum quendam Lubecensem, ut ipse O.
P. I. f. 58. b. commemorat, ubiq; divulgantem, quod Hussum duce-
rent catenis victum in carru, monentemque, ut caverent eum o-
mnes, quod cogitata hominù cognosceret. Quare ad eum viden-
dum magna undiq; populi turba adventus expectatione excitata
con-

C

con-



confluebat, imprimis Norimbergæ, ubi ab hora prandii in Sacerdotum, Senatorum, plurimorumq; civium confessu ad noctis usq; crepusculum sermones habentē admirabantur omnes, & fatebantur: *catholica esse que audivissent omnia, eademq; à multis annis tenuisse ipsos & etiamnum tenere, nec dubitare, quin Hussus si nihil contra ipsum aliud haberent, magno cum honore à concilio esset rediturus.* Vid. P.I. Opp. fol. 58. à

Die vigesimo postquam Praga exierat, sive tertio mensis Novembris Constantiam cum pervenisset, sequenti die quinto Concilium solenniter inaugurabatur, à Pontifice *Johanne XXIII.* in templo Cathedrali, Hussi autem præsentiam proximo statim post adventuæ die Pontifici duo ex Nobilium Bohemorum numero significabant, petentes simul, ut tuto Constantiæ ipsi Pontificis gratia vivere liceret, ad quæ Pontifex: *Etiamsi Hussus fratrem sibi germanum occidisset, tamen se nullo modo commissurum, quantum in ipso esset: ut aliqua ei fieret injuria, quamdiu Constantiæ viveret.* Quæ quidem sancte adeo data sanctissimi Patris fides etsi ad securitatem Hussi omnium judicio quam maxime valitura videretur, eventus tamen dictis non respondens aliud probavit. Vix Constantiam Hussus venerat; cum *Michael de Causis* in literis, quas contra ipsum ad valvas templorum publicabat, *excommunicatum pertinacem, deq; heresi suspectum* palam appellaret. Quæ sane quorsum spectarent, cum obscurum nemini esse posset, Hussus à Pontifice per amicos supplex petebat, ut ejusmodi processus pro sua in ipsum gratia inhiheret: ille: *hæc à Bohemiis, Hussi criminibus profecta esse, qua prohibere in sua potestate situm non sit,* se excusabat. Instabant post assidue apud Episcopos & Cardinales *Stephanus Paletz,* capitalis Hussi ex amico inimicus & *Michael de Causis,* donec 28. die Novembr. sub ipsum prandii tempus per Augustanum & Tridentinum Episcopos, Consulem Civitatis Constantiensis *Henricum de Ulm,* & Nobilem quendam ex hospitio suo ad comparandum quantocyus coram Cardinalibus doctrinæq; suæ rationem reddendam deposceretur. Hussus quidem, venisse se ut in totius potius Concilii, quam Cardinalium confes-
su fidem suam defenderet, dicebat, nihilominus tamen illis quoq; licet male habendus, sistere se non recusabat, ascensoque parvo equo

equo Comite *Dn. de Chlum*, Episcopus in Curiam Cardinalium sequebatur. Illi salutantem severe satis allocuti responsum de nulla vera hæresi pertinaciter unquam defendenda acceperant, eoque probato discedentes Hussum & *Dn. de Chlum*, sub satellitum custodia ad ipsam usque noctem detinuerunt, ubi tandem Præfectus Romanæ Curie Domino de Chlum ad hospitium redeundi potestatem dabat, de Hussu aliter statutum addens; ille ad Pontificem continuo provocans inique cum Hussu agi, & salvum conductum, quo instructus esset, violari graviter querebatur; Pontifex: nihil horum ex mandato suo factum, seque ipsum in Cardinalium potestate esse, causabatur. Hussus autem astu captus, & à Pontifice, quem postea carceris Gotlebensis socium fato sane admirando habuit, traditus, in domo Cantoris ecclesiæ Cathedralis Constantiensis appostis militum custodiis primum detinebatur, post carceri Monasterii Prædicatorum latrinæ proximo includebatur, cujus loci injuria mox in gravissimum morbum incidit, ut de vita periclitaretur, quod ubi rescivit Pontifex, aliquot ex Medicis suis, qui curarent ipsum, submisit. Comes autem Hussi, *Dn. de Chlum* Casari adhuc absenti laesam fidem salvi conductus Hussu dati per literas exposuit; quod indigne ferens Casar per Oratores, ut Hussus dimitteretur carcere, severe mandavit, carceres effringendos, si secus fieret, minitatus; sed nequicquam; *Johanne* enim Pontifici reluctante, Hussu ex Orco, in quem devenerat, nulla erat speranda redemptio. Quod cum videret Dominus de Chlum, in ipsa Nativitatis CHRISTI vigilia publico programme Latino & Germanico, sigillo suo appenso, valvis templorum Constantiensium affixo de injusta Hussi captivitate querebatur.

Hæsit autem in hoc carcere Hussus ad diem fere tertium Martii anni 1415, quo captivus in Monasterium Franciscanorum deductus fertur. Ibi ad 21. usque ejusdem mensis diem permansit, quo, *Johanne* Pontifice fuga elapso secutisque eum carceris custodibus Episcopo Constantiensi tradebitur. Hic vero, licet literis ad ipsum datis se nihil cum illo negotii habiturum significaverit, deportari in arcem Gotleben curavit, ubi in

turri quadam interdiu compedibus vinctus, incedebat, noctu vero manica ferrea iuxta lectum parieti alligabatur. In hac custodia ferias Paschales transegit.

Bohemi interim Constantia viveantes diurnam Hussi captivitatē egre admodum ferebant, cumque ipsū propediem auditum iri comperissent, ut ex carcere dimissus solutusque vinculis publice audiretur schedula Concilio oblata rogabant, ad quam Episcopus quidam die 16. Maji communi nomine respondit: Statuisse Concilii Patres Hussū ex vinculis nequaquam dimittendum, negotium tamen ejus proxima occasione instituendum; illi vero aliis literis die 18. Maji exhibitis prolaxa apologia Hussū defendebant, & ex vinculis dimitteretur, denuo supplices obsecrabant. Interea Patres Concilii inquisitionem contra Hussū instruebant, collectis articulis, quos *truncatim & syncopatim ex libris ejus extractos* esse Nobiles Bohemi libello supplici die 31. Maji exhibitō, ipsique Cæsari privatim commendato, querebantur, iterumque ut ex vinculis liberaretur, obnixè petebant, offerentes se *ad dandos fide jussores turissimos, qui fidem suam non frangerent pro ulla re mundi, & pro Hussō, & manibus Episcoporum aut Commissariorum, quibus eum trahi petebant, usque ad finem negotii non elapsuro, eam interpererent.* Perlecto hoc Bohemorum libello Cæsar Patribus Concilii illum examinantibus intervenit, & urgens, dandam omnino Hussō audientiam publicam, eos permovit, ut Hussū ad diem 5. Junii Constantiam advehendum & liberam coram Concilio dicendi potestatem ipsi dandaq; decernerent.

Ante dictum diem Concilium Deputatos quosdam ex nationibus *Gosbiam* ad Hussū misit, qui in carcere adhuc hærentem quasi quibus tentaret, & ad sententiam mutandam invitaret. Hussus ad hanc determinationem Concilii h. e. non mandato, ejus ad revocandum, quo adversarii vocem hanc interpretabantur, sed informationi, directioni, revocationi etiam & pœnæ, si de errore convinceretur ex scripturis, se submittebat. Et gravem sane hoc die vexationem se habuisse scribit. Incesserat

rat multos, nescio quomodo, de multis, quas Hussus posside-
ret, pecuniis opinio, qua permoti inimici *nullam audientiam*
obtinendam ipsi dicebant, nisi prius solveret duo millia ducatorum
pro impensis, & in hujus diei examine Archi-Episcopus: *Tu ha-*
bes 70 millia florenorum, & Michael (de Causis) dixit coram omni-
bus: Ha, ha, quo devenit Joppa plena florenis? Quantis pecu-
nias tibi tenentur Barones in Bohemia? Constantiam deinde
Hussus ad statutum diem redibat, & vinctus carceri in Monaste-
rio Franciscanorum includebatur, in quo per integrum abhinc
mensem ad ultimum vitæ diem permansit. Cum publice jam
audiendus & examinandus esset, congregati Patres Concilii &
universus Cleri ordo, mala quidem fide, id agebat, ut Hussus
absente adhuc nec audito, articuli ex libris ejus excerptis additis
testimoniis, prælegerentur & condemnarentur; sed nefario
hoc ausu exciderunt. Cæsar enim per *Vuenceslaum de Duba &*
Johann. de Chlum re intellecta, *Ludovicum Electorem Bavarie*
& Fridericum Burggavium Norimbergensem in Concilium cum
severo mandato misit, ne quid contra Hussum inauditum de-
scernerent, ipsosque articulos, quos erroneos existimarent, ad
se mitterent, curaturum, ut à viris doctis examinarentur. Sed
& libros quosdam Hus memoratis Principibus Nobiles tradi-
derunt, Patribus Concilii in confesso exhibendos, ut scilicet ex-
eorum cum articulis prælegendis collatione quam bene aut
male ex iis excerpti fuissent, cuivis ad oculum pateret. His
ita peractis Hussus ipse in confessum adducebatur, librosque
monstratos suos agnoscebat; Tum ventum ad articulos, sed
vix unus cum testimoniis prælectus erat, cum Hussum ad illa
responsurum immani excitato tumultu insanisque clamoribus
universa multitudo interpellavit, quibus tandem ille obrutus
plane conticuit, quare juxta consilia quorundam moderatio-
rum Senatus tum dimissus & negotium in diem perendinum
dilatatum.

Postridie igitur, sive die 7. Junii circa horam septimam,
cum paulo ante totalis Solis eclipsis contigisset, in Refectorium

fratrum Minorum, quo omnes Concilii Patres, ipse etiam Imperator *Sigmundus*, *Vuenceslaus* item de *Duba*, & *Johannes de Cblum* convenerant, Hussus armatorum militum manu cinctus adducebantur. Prælegebantur articuli accusatorii plures, de doctrina ipsius de *S. Coena*, de articulis *Wiclef* defensus, de crimine seditionis, de distractione & dissidiis in Academia Pragensi excitatis, damnoque discessu Germanorum ei illato. Ad quos cum pro temporis & loci ratione Hussus breviter respondisset, deque intentatis criminibus se purgasset, *Episcopi Rigen- sis*, qui etiam *Hieronymum de Praga* captum tenebat, fidei fuit commissus, postquam Cæsar eum sub discessum severe monuerat, ne quid obstinate defenderet, addens suis manibus ignem ipsi paraturum se potius, quam permissurum, ut in aliqua pertinacia persisteret. Hussus vero meliora edoctum se sine ulla dubitatione sententiam mutaturum, receperat.

Sequenti die Junii 8. in eodem loco iisdem iudicibus Hussus denuo sistebatur, legebanturque eodem audiente articuli XXXIX. iidem fere cum iis, qui primum in carcere sub hujus anni initium oblati erant, quamvis aliis additis, aliis detractis, ficti & reficti essent, alio præterea ordine recitarentur, ex quibus Hussus, qui in libris extabant, suos agnovit, reliquos ab inimicis confictos palam asseruit, omnibus, quantum per exiguas corporis vires diuturno carcere fractas & obloquentium strepitus licebat, respondit. His ita peractis *Cardinalis Cameracensis* condiciones liberationis Hussu ferebat tres: Confessionem erroris in articulis allatis admitti, promissionem sub Jurisjurandi fide de eo non amplius docendo, & publicam omnium revocationem, ad quam illum & Imperator hortabatur: ille vero, nec conscientie suæ vim facere se, nec agnoscere errores non ostensos in scriptis suis posse, constanter regerebat. Demum Episcopus Rigenis in carcerem reduci mandabat, ubi secutus eum *Johannes de Cblum*, animum Hussi innumerabilium inimicorum odiis tantum non oppressum porrecta manu nonnihil confirmavit, quod ipse
Hus

Hus ad sui solatium multum valuisse in Epistolis P. I. Opp. fol. 68. b. testatur: *O quam grata, inquit, fuit manus porrectio Domini Johannis, qui non est verecundatus mihi misero manum porrigere, tam abjecto haeretico, & inferato, & quasi ab omnibus inelamato.* Secutis diebus ad revocationem & Cardinalis Hostiensis formulam satis lenem offerens, & alii plures incitabant, variisque argumentis permovere conabantur, ex quibus aliquis idem persuasurus, bonum esse & licitum, quicquid de Concilii sententia faceret, asserbat, ira quidem, ut cum concilio dicente: quod *unum tantum haberet oculum, esse haberet duos, ita esse, constitendum foret,* mox tamen allatis ab Husso exceptionibus cedens, *non valde bonum attulisse se exemplum* confitebatur. *Hussus* vero à sententia sua nulla vi motus, nulla arte adductus, nullis blanditiis illectus, ne latum unguem recedebat, omnes inimicorum asultus, quibus labefactandus erat, in confirmationem animi convertens; & quandoquidem ter publice examinatus latam revocationis conditionem accipere constanter recusabat, mortem jam indices expectabat.

Pridie diei condemnationis mittebat ad eum Caesar IV. Episcopos, cum *Vuenceslao de Duba* & *Johanne de Chlum*, exploraturos sententiam, cui inhaerere firmiter apud animum suum statuisset. Producebatur ad eos *Hussus* ex carcere, atque *Johanni de Chlum*, hortanti, ut, *si cujus erroris sibi esset conscius, cum pertinaciter ne defenderet, sin minus veritatem vita ipsa potiozem haberet, lacrymans respondit; Deum se adhibere testem, quod cuiusvis doctrina, à lege divina dissentient, & à Concilio sibi ostensa vel iuramento interposito renunciaturus esset.*

IX. Jam vero sextus Julii dies aderat, quo immota *Hussi* constantia igne probanda & perspicienda erat. Tum illo hora ante meridiem sexta in templum summum Constantiense, quo magna Cardinalium, Episcoporum, totiusque Cleri turba confluxerat, ad mortis sententiam, praesidente ipso *Sigismundo Imperatore* in ornatu & habitu imperiali, audiendum, dedu-

Aus

stus fuit. Quamdiu celebrabantur sacra in vestibulo subsistendum ipsi erat, ne scilicet ejus presentia religio violaretur. His finitis in Sessionem productus in loco edito, ut conspicui ab omnibus posset, constituebatur. Mox sermone in condemnationem ejus à *Jacobo Episcopo Laudensi* fratris. Prædicatorum Ordinis ex Rom. VI. *Destruatur corpus peccati*, habito, *Deputati Nationum* ad illum condemnandum prodierunt, lectumque ante omnia per *Archi-Episcopum Concordiensem* Decretum silentii, deinde per alios processus Causæ in Curia Romana inter *Hussum* & Prælatos Pragenses agitatæ, tum articuli ex libris ejus excerpti, insertis etiam illis; quod docuisset, *duas naturas, divinitatem & humanitatem esse unum Christum, & quartam in Deitate personam* statuisset, ad quos responsurus per apparitores compescēbatur, postea processus in Concilio & extra contra eum institutus, recensēbatur, demum cum abjurare non posse se, ne DEum offenderet, perjurium committeret, populum seduceret, denuo profiteretur, **verus & manifestus hæreticus declaratus fuit, qui ex ordine Sacerdotali excludendus & potestati seculari debitam hæreticis pœnam subiturus tradendus esset.** Ad cujus sententiæ executionem descendere ex edito loco jussus sacerdotali dignitate privabatur, ablato ab eo calice, qui prius in manus datus fuerat, detracta casula, stola, & rotundo rasuræ orbe, in crucis formam, ex plurium votis, forcipe (cum alii novacula id peragendam satis acriter contenderent) detonso. *Quid vero ad hæc Hussus? Ille pro inimicis omne, causam suam DEo justissimo judici committere, & animam, cum Clerici illam devoverent Diabolo, in manus Domini pie commendare.*

Curie seculari ita traditum, ut sine mora ad rogam educerent, vestes vero, cingulum, crumenam, caligas aut calceos non detraherent, lictoribus mandabatur. Ibat itaque ad rogam *Hussus* nullo vinculo adstrictus, duabus tunicis nigris indutus, cingulo, qui argento inaurato ornatus erat, cinctus, gestans

gestans capite tiaram ex papyro factam, pictam duobus damo-
 nibus, adscriptaque in medio voce: **Hæresiarcha.** Eun-
 tem mille militum caterva, omnesque Principe, Domini ac Lai-
 ci in armis ad tria hominum millia comitabantur. Rogum, cum
 porta egrederetur, conspicatus, in genua ter procidens, orabat:
Jesu Christe, fili Dei, qui passus es pro nobis, miserere mei, cum-
 que ad locum supplicii ante portam Gottlebianam venisset, flexis
 genibus *Pf. 51 & 31.* lato vultu orabat, quod qui audiebant, etsi
 quid antea fecisset non nossent, nunc quidem sancte eum & orare
 & loqui fatebantur. A precibus tandem, monentibus licitori-
 bus surgens, clara voce orabat: *Domine Jesu Christe, ad sis*
mibi, ut hanc crudelem & ignominiosam mortem ad quam pro-
pter sancti evangelii & verbi tui predicationem damnatus sum,
te adjuvante forti & constanti animo feram. Tum ad crassum
 ac perforatum asserem in terra defixum manibus inversis sex vel
 septem funibus, cervix autem atra quadam & fuligine foedata
 catena alligabatur, pedibus duo lignorum fasciculi suppone-
 bantur, hisque cervice tenus intermistis straminibus circumda-
 batur. Et jam incensuri rogom erant lictores, cum *Ludovi-*
cus Elector Palatinus denuo de dogmatibus vitæ servandæ cau-
 sa revocandis admoneret, ille vero respondit; se quidem,
quemadmodum omnium concionum, dogmatum, operum denique
omnium hunc unicum sibi scopum proposuisset, ut à peccati tyran-
nide eriperet homines, nec ullius doctrinæ, cum lege divina pu-
gnantis sibi conscius esset, nunc eandem doctrinam morte sua læ-
to animo obfignaturum. Tum discedente, complofis manibus,
 Electore, carnifices rogom succendebant, *Hussius* præalta voce
 semel atque iterum clamabat: *Jesu sili Dei vivi miserere mei,*
 tertium canenti: *quinatus es ex virgine, flamma vento elevata*
 vocem præclusit, nutabat tamen capite, ac os movebat, quam-
 diu orationem Dominicam bis aut ter repetendo quis absolve-
 ret, deinde tacitus intra se orans spiritum emisit. Cineres &
 ossa curru deinde, supplicio finito, imposta, & in Rhenum
 projecta fuerunt.

D

X. Hoc

X. Hoc modo *Johannes Hus* inimicorum oppressus odiis, crudelem & indignam virtutibus mortem perpeſſus vitam finiit, vir, ipsis etiam adversariis non diffidentibus minime vulgaris. *Ænea Sylvii*, postea Pontific. Maximi, elogium, quo ingenio peracri & lingua diserta, mundiōris quoque vitæ opinione clarum laudat, repetit *Corn. Gesnerus* Bibliothec. P. I. f. 427. a. *Henricus Spondanus*, sinistrae alias satis de constantia Husli judicans, in Continuat. annal. Baronii p. 710, ingenio peracri & lingua diserta, & iterum: *Lingua potentem & mundiōris vitæ opinione clarum* fuisse negare non potuit.

Qui in Concilio ipsum damnaverant ad ignis supplicium, omni quidem conatu id agebant, ut fama viri apud suos etiam detraherent, eumque in odium adducerent, cum missis communinomine ad Bohemos d. 26. Julii literis, obstinatioſiorem indices, in suis opinionibus perversiorem diabolica instigatione extitisse, ac in apertissima & intolerabili heresi deprehensum fuisse & convictum criminabantur. Sed Bohemis fidem ejus rei non faciebant. Magnates enim, Barones, Proceres & Nobiles ejus regni, & Marchionatus Moraviae in epistola ad Concilium Responsoria vitam Husli & studia, quæ per tot annos perspexerant, cognitaque habebant, plena officiorum ac virtutum palam laudabant. Corde & ore proficentes fuisse virum utique bonum, justum, & catholicum, à multis annis in regno, vitæ & moribus ac fama laudabiliter conversatum & comprobatum; Legem Evangelicam juxta expositionem Sanctorum Doctorum catholice docuisse, ab omni errore & heresi constanter abhorruisse, ad pacem quoque & charitatem, verbo, scriptis & opere jugiter exhortatum fuisse. Nescire itaque se, quo spiritu ductum Concilium ipsum tanquam hæreticum pertinacem condemnaverit & condemnatum dim ac turpissima morte affecerit, & hæc quidem in literis in pleno concilio Magnatum, Baronum, Procerum & Nobilium, regni Bohemiae & Marchionatus Moraviae sub appensione sigillorum Praga d. 2. Septembr. datis & concilio transmissis; Integram epistolam amoris & studii in Hussum plenam exhibent Ma-

gni

gni Concilii Constantiensis acta To. IV. P. VIII. pag. 495. quæ quidem accuratissimo studio undique collegit, digessit ac recensuit immortalis prorsus in republ. & literis merito vir Celeberr. Hermannus von der Harde / Academ. Jul. Professor.

XI. Scripta Viri eandem cum autore fortunam in Concilio, ipso, cum è templo ad supplicium prodiret, inspiciente, experta comburebantur, ut scilicet cum illo omnis etiam doctrinæ memoria deleteretur. Servatæ tamen plures ex hoc naufragio tabulæ, & à viris doctis collectæ. Augustissimam Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis præter urum in 4to. chartaceum Volumen continens, varia antiqua monumenta ad historiam vite Job. Hus & Hieronym. Pragensis eorundemque in Concilio Constantiensi condemnationem pertinentia, alterum in 8vo. servat, & ipsum chartaceum, continens varia Excerpta Theologica ex diversorum autorum operibus & de diversis materiis, titulosque nonnullorum Tractatum Johannis Hus exhibens, recensente P. Lambec. Comment. de Biblioth. Cæsar. Lib. II. Cap. VIII. pag. 804. & 808. Editorum operum catalogus in editione Norimberg. ann. 1558. fol. Partibus II. sub initium utriusque partis legitur & a Guil. Cave Histor. Literar. S. E. T. I. App. p. 77. recensetur. Tractatus de ecclesia separatim ann. 1520. 4to. cum indice in Germania excusus fuit. Quatuor Epistolas Martinus Lutherus, Witteb. 1536. d. 9. Novembr. Germanice edidit, & iterum quasdam ibid. 1537. Multum quoque in colligendis Hussi scriptis & fragmentis operæ posuit Orbo Brunsfelsius, ex Monacho Carthusiano ludimagister, & postea Medicus Argentoratensis, cum cuius appendice opuscula quedam Husi in Germania (Argentorati existimat Contr. Gesnerus Biblioth. P. I. fol. 427.) prodierunt. Impressus etiam Wittebergæ fuit ann. 1528. in 8vo. commentarius in Apocalypsin sine auctoris nomine, Luthero ab extremis Germanicæ finibus, nempe è Sarmaticis, Livonicisque regionibus transmissus, quem teste Gesnero l. c. eruditus quidem Theologus Tigurinus, conjecturis, à tempore, doctrina & stylo sumptis motus ab ipso Johanne Hus conscriptum existimavit, præsertim cum constet illum in Apocalypsin edidis-

le

QX II 2081

se commentarios, nec alii reperiantur; an vero hæc opinio cum
anno, quo scriptus, anno scilicet 1357. (ut autor in expositio-
ne cap. 20. computat) vel 1338. (quomodo in fine libri, & an-
notatione marginali approbante, numerus emendatur) & an-
nis vitæ Hussi, qui anno 1415. demum obiit, conciliari & con-
sistere queat, non immerito considerandum relinquimus. Ple-
nissima Operum Johannis Hussi collectio tit: *Historia & Monu-
mentorum Johannis Hus & Hieronymi Pragensis, Norimb. fol.
1558. in officina Johannis Montani & Ulrici Neuberi impressa fuit,*
duabus Partibus omnia ipsius tam edita hæcenus quam
inedita scripta, sermones & tractatus, qui reperiri
potuerant, comprehendens.



WMA 00

WTP

211



194. (40)
194.

III, 70
Pi
2081

Q. D. B. V.
C O N C O R D I Æ J O H. H U

E T
M A R T I N I L U T H E R I,

I N
P R Æ C I P U I S F I D E I O R T H O -
D O X Æ A R T I C U L I S,

P A R S I.
V I T Æ A C O P E R U M J O H. H U S
H I S T O R I A M E X H I B E N S.

Quam

Rev. Facult. Theologicae,
P R E S I D E

S V M M E R E V E R E N D O,
I S S I M O,

D. M A Y E R O, D.
, Confiliario Regio & Ducali
o, S. Theol. Profess. Primario, Uni-
llario, Regii Consistorii Praeside, &
& Rugiae Superintendente
nerali.

O M O T O R E O M N I P I E T A T E
R A N D O,
ica, ad d. Decembr.

P O N E T
O B E T A N T Z, H o l s a t.
ph. Kilon. Assessor.

E L I S D A H L I, Reg. Typogr.

